

Chataja est Sina, vel saltem pars septentrionalis Imperii Sinici. *Igúri*, ab aliis *Yugures* vel *Uigures* vocati, fuerunt natio Tartarica, prope Regnum *Tangut*, apud quos, præter alia studia, etiam Astronomia excolebatur. (*)

Idem *Ulug Beig* Capite VI. in quo de Epochâ *Chataiæ* & *Iguræ* agit, sectionem primam ita incipit:

„Astronomi *Chataiæ*, & *Turcestanæ*, tam dierum, quam annorum, „Cyclum duodenum constituunt (quemadmodum & Partium $\nu\chi\theta\eta\mu\acute{\epsilon}\epsilon\theta$) „eisdemque nominibus appellant, quæ suprâ memoravimus. Sed „*Chataiis* Cyclus alter est in decem partes distributus - - - Ubi verò „cyclus hic cum priori fuerit compositus, fit inde cyclus sexagenus „quo dies numerantur. Iste autem cyclus eis septimanæ nostræ vice, „defungitur: hunc appellamus Cyclum sexagenum.

Postea compositionem utriusque inter se Cycli exhibet, & porro addit:

CHATAJI insupèr suos annos in Cyclo sexageno numerant. Et tandem: *TURCÆ* in Cyclo duodeno prædicto (*ANNOS SUOS*) expediùs numerant. Verum Epochæ eorum mensura nobis est incognita.

Ex his apparet etiam Turcis hunc Cyclum tribui. In præfatione (*Avertissement*) quæ præfixa est libro *Histoire de Timur-Bec*, de hoc Cyclo sequentia annotata sunt: *Mogolenses* dividere tempus per Periodos duodecim annorum, & dare cuivis anno nomen animalis, & semper finito Cyclo illum rursus incipere. Traditur ibi Tabella ubi anni *Mogolenses* cum Christianis & Mahometanis conferuntur, quam infra examinabimus. Postea additur, etiam Persas hoc tempore adhuc hoc Cyclo uti, præsertim in actis publicis. Eorum monetam cupream insignitam figurâ animalis, quod respondet anno in quo cusa est. Ergo hic Cyclus tam latè est in usu, quam latè numerosissimæ gentes Tartarorum se expandunt. His addi debent Japonenses, qui eodem Cyclo sexageno utuntur atque Sinenses, & nomina eorundem animalium ipsis tribuunt ac Sinenses, uti ex D. Kämpferi *Historia Japoniæ* apparet. Siamenses etiam Cyclo Tartarico duodecimali uti, idem liber nos edocet.

Tabella

(*) Vid. *Histoire de Genghiczan* p. 115 seqq. ubi hæc Natio, ejusque Studia & Religio describuntur; præsertim quod *Mogolenses* ab *Yuguris* literas didicerint. Scientiæ quæ in urbe *Campion*, urbe regia regni *Tangut* excolebantur, sine dubio etiam vicinis *Yuguris* tribuendæ sunt. It. In libro *Histoire Genealogique de Tatars* Part. II. totum caput 7. de hac Natione agit p. 90. seqq. & hanc nationem plures Viros doctos habuisse docet.